

*Doc. 41 (Scriptum est
Castellanis Lacuspensule et
Sancti Gervasii presentibus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 41 (Scriptum est
Castellanis Lacuspensule et
Sancti Gervasii presentibus...)*

1305-11-04

Scriptum est castellanis Lacuspensule et Sancti Gervasii presentibus et futuris fidelibus etc.

Volentes quod animalia aratorum nostrarum in Apulia pascua et aquam in defensis nostris tenimentorum Lacuspensulis et Sancti Gervasii libere sumant, fidelitati vestre presentium tenore mandamus expresse quatenus tam vos presentes quam vos alii successive futuri, ad requisitionem fratris Salvati, conversi monasterii Casenove magistri aratarum ipsarum vel alius pro parte sua presentes vobis et ipsius magistri licteras assignantis, prodicta animalia in defensis predictis auctoritate presentium admittentes illa sumere pascua et aquam inibi libere permittatis, nullam predictis animalibus seu eorum custodibus molestiam propterea illaturi, quomodolibet illaturi. Permissuri etiam duci cum qualibet aratarum ipsarum canes duos dictos mastinos, qui non sint apti ad venationem. Proviso ut plures seu alii canes ducantur cum animalibus supradictis et quod privatarum personarum animalia quarumcumque non sumant dicta pascua et aquam pretextu presentium in defensis eisdem. Presentes autem litteras post oportunam inspectionem earum restitui volumus presentanti, apud vestrum singulos vigorem similem obtempturas.

Datum Neapoli in camera nostra anno domini MCCCXV die quarto novembris quarte indictionis regnorum nostrorum anno vicesimo primo.